



Universitätsbibliothek Paderborn

**Nomenclator Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalivm Qvi
Ab Anno Christi Millesimo quippiam commentati sunt, Sev
Ab Eo Tempore quo Pontificis electione ad eos tantùm ob
Romani cleri multitudinem ...**

**La Roche posay, Henri-Louis Chasteigner de
Tolosae, 1614**

A Nicolao IV. Creati.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10735

Nomencl. Sancte Romane

exiguo rei literariæ intertrimento, oculis nostris
vetustas subduxit, ut indicat Cortesius. Obiit
anno 1287. Romæ sepultus in æde Sanctorum Syl-
uestri & Martini, cum hoc Epitaphio, cuius cadu-
cæ literæ visum ferè effugiunt.

Hic iacet Dominus Geruasius Cardinalis Cœnomanen
.....amare sta 69. constans cōment..... 40. quæ misce
.....osine fine

B E N E D I C T V S C A I E T A N V S Anagninus Car-
dinalis, qui postea Bonifacius Papa 8. Dyni Mugellani
nandus auditor, scripsit

De Christianæ fidei & Romanorum Pontificum
persecutionibus.

De regulis Iuris.

De Indulgentiis anni Iubilei.

Epistolas plures, quarum duę extant apud Mathæum
Vestmonasteriem.

Orationem. *Ave virgo glorioſa.*

Sextum item Decretalium librum, doctorum aliquot
opitulatione peractum, publicauit.

Regestique eius volumina 4. in Bibliotheca Vaticana
seruantur. Obiit anno 1303. iacetque in Basilica
Vaticana.

A NICOLAO IV. C R E A T I .

M A T H Æ V S D E A Q V A S P A R T A Tudertinæ
Diœcesis ord. Minorum Cardinalis, & Theologus qua-
sitissimus, scripsit

In Epistolas Pauli.

Quodlibetales quæstiones.

Ecclesiæ Cardinalium.

45

In 4. libros Sententiarum lib. 4.
Postillam in Psalmos.
In librum Iob.
Indicem seu Inuentarium Sententiarum.
Quæstiones disputatas.
Sermonesque varios. Obiit Romæ an. 1302. Sepultus in æde S. Mariæ de Ara-cœli.

HUGO SEGVIN' de Billon apud Aluernos, Cardinalis ord. Prædicatorum, Archiepiscopus Lugdunensis in diuinis scripturis iugi exercitatione doctus, & Theologicarum difficultatum pensitator subtilissimus, scripsit.

In Threnos Hieremiacæ Commentaria.
In quatuor libros Sententiarum.
De immediata visione diuinæ essentiæ.
Contra Corruptorum S. Thomæ.
Sermones plures, & alia. Obiit an. 1328. Romæ sepultus in æde S. Sabinæ cum hoc Epitaphio.

Hugo vocatus homo fuit hic, & de Biliomo.
Per mortem clarum dedit hunc Aluernia carum.
Ordinis hic frater, quippe dicat hunc bona mater,
Edidit ad studia doctorem Theologia;
Cui socios Petrum Paulum det gratia Christi.

NEAPOLEO VRSINVS Romanus Cardinalis, nonnulla scripsit ad Theologiam pertinentia, ut refert Cortesius, temporumque mobilitati & inclemenciacæ adscribendum, quod huc usque desiderentur. Obiit Auenione anno Cardinalatus sexagesimo.

F iii

THEOBALDVS Stampensis Anglus, de cuius Cardinalatu addubito, quicquid dicat author Catalogi scriptorum Angliæ scripsit

Contra errantem in Theologicis.

Disputationes aliquot.

Et alia nonnulla. Obiit anno 1289.

A. S. COELESTINO V. CREATI,
Ordinis Cœlestinorum Institutore.

IOANNES DE CRESSY Monachus diœc. Ambianensis Gallus, ex Episcopo Meldensi Cardinalis, amplissimum Collegium Lutetiae excitauit, scripsitque

Commentaria in 6. Decretalium.

Glossam auream nuncupatam Venetiis editam
anno 1586.

Aliaque nonnulla in iure canonico. Lutetiae iacet in æde præfati Collegij cum hoc Epitaphio.

Hic iacet Dominus Ioannes Monachus Ambianensis diœcasis, tituli sanctorum Marcellini & Petri presbyter Cardinalis fundator istius domus, qui obiit Auenione anno Domini 1313. die 22. mensis Augusti: Sepultus fuit hic, die prima mensis Octobris anno eodem, rite pro eo.

GWILIÆLMVS Longus Bergomensis ex Cancellerio Caroli 2. Siciliæ Regis Cardinalis, tanti nominis in utriusque iuris scientiâ fuit, ut Bonifacio 8. in Sexto Decretalium condendo frequentem operam haud inglorius auxiliator præbuerit. Obiit Auenione. Anno 1319. Bergomique in Ecclesia Minorum, cum hoc iacet Epitaphio.

Hic iacet corpus piæ memorie Guilielmi de Longis Cardinalis.